



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. II. Vtrum totus Christus contineatur sub vtraque specie huius
Sacramenti. Sacramento.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

ARTICVLVS II.

Vtrum totus Christus contineatur sub
vtraque specie huius Sacramenti?2.
Sensus arti-
culi.Resp. affir.
Florent.

Trident.

IN QVIRIT vtrum non solum totus Christus sit in hoc Sacramento, sed etiam vtrum sit in singulis speciebus?

Affirmat, quod est de fide definitum in Concilio Flor. §. tertium est Eucharistia, ubi dicitur: quod totus Christus continetur sub specie panis & totus sub specie vini in Trid. sess. 13. can. 3. ubi dicitur anathema neganti in venerabili Sacramento Eucharistiae sub vnaquaque specie totum Christum contineri. can. 6. definitur Christum in Eucharistiae Sacramento cultu latius adorandum; quod non solum de vtraque specie simul sumpta, sed etiam de singulis seorsim sumptis esse intelligendum declarat sensus Ecclesiae & usus fidelium, igitur sub singulis speciebus latet Christi diuinitas.

Probatur etiam ex eo quod in Concilio Constantiensis sess. 13. dicitur firmissime credendum esse, & nullatenus dubitandum integrum Christi corpus & sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri; ergo totum quod spectat ad corpus & sanguinis constitutionem continetur sub singulis speciebus, continetur etiam Verbum & diuinitas, quia vbi cumque est corpus Christi manet diuinitati unitum, cum Verbum nunquam dimiserit corpus quod semel assumpsit. in hoc etiam Sacramento est anima sub singulis speciebus, cum corpus Christi in caelo sit animatum, non deest autem illud vno loco habere animam, alio vero ea carere.

Cum Christi corpus sit animatum in caelo, etiam est in hoc Sacramento.

Corollar.

Confir. cum hoc mysterium dependeat a Christi humanitate, congruum est, ut quando eius partes in statu naturali inter se vniuntur, eadem vniantur in hoc Sacramento, cum ergo corpus Christi in statu naturali sit animatum, etiam erit animatum in hoc Sacramento.

Ex hac ratiocinatione sequitur sub specie panis etiam inueniri sanguinem, cum corpus Christi in statu naturali non sit exangue; sequitur similiter sub specie vini post consecrationem contineri animam & corpus, nec non & diuinitatem.

Ratio D. Th. difficilis.

D. Th. praedictam doctrinam probat art. 1. in corpore ex eo quod quando duo sunt realiter coniuncta, vbi cumque est vnum realiter, oporteat & aliud esse, quae propositio videtur difficilis, cum ex ea videatur sequi quod vbi cumque est Christi diuinitas, ibidem sit eius humanitas, quod falsum est, & haereticum: nam inde sequeretur humanitatem Christi esse vbi que, ut voluit haeretici. ut ergo propositio D. Th. vera sit, est intelligenda, quando aliqua duo ita sunt coniuncta, ut adaequata sit vnio, & vnum respiciat aliud tanquam adaequatum terminum: si enim vnio sit inadaequata, non est necesse, ut vbi cumque est vnum, sit & aliud; unde non sequitur anima est realiter vnita pedi, ergo vbi cumque est anima ibi est pes, quia pes non est adaequatus terminus vnionis animae, sed corpus; ideoque vbi cumque est corpus, ibi est anima, & vbi cumque est anima, ibi est corpus. ex quo optime sequitur in hoc Sacramento esse animam Christi, similiter in eodem peculiariter inueniri diuinitatem, quia corpus Christi ex parte sua adaequate vnitur diuinitati, ergo vbi cumque est corpus Christi, ibi est diuinitas, & proinde etiam in hoc Sacra-

Quomodo intelligenda, ut sit vera.

mento; ita ut si diuinitas non esset vbi que, inueniretur in hoc Sacramento propter peculiarem illam vnionem corporis Christi cum diuinitate.

DVBIUM I.

Quid ponatur in hoc Sacramento sub
vnaquaque specie ex vi ver-
borum?

NOTANDVM ex D. Th. art. 1. in corpore, & ex Trid. sess. 13. cap. 3. in hoc Sacramento aliquid dupliciter poni sub speciebus; vno modo ex vi verborum, 2. propter naturalem connexionem, & concomitantiam, qua Christi partes inter se copulantur, & ratione vnionis hypostaticae. praefecti dubio inquirimus, quid ponatur priori modo per consecrationem sub speciebus, id autem ponitur ex vi verborum quod exigit veritas, & proprietates verborum consecrationis. hoc praemisso, Resp. &

Dico 1. per consecrationem ex vi verborum sub specie panis ponitur corpus Christi; quia veritas formae, hoc est corpus meum, id exigit; ut enim haec oratio sit vera, corpus Christi debet esse sub specie panis, cumque ea sit operatiua, sequitur quod ex vi illius corpus poni debeat; cum vero ad praedictam formae veritatem solum requiratur ut Christi corpus constitutur sub specie panis, sequitur illud poni ex vi verborum.

Dico 2. sub specie vini per consecrationem ponitur sanguis Christi, patet ex ratione praecedentis conclusionis. his in genere constitutis

Difficultas est, quidnam deat corpus, quod ex vi verborum ponitur sub specie panis, qua in remagna est sententiarum diuersitas.

Prima censet esse materiam primam; tenet Gabriel in 4. dist. 11. art. 1. notabili 4. ubi obscure id tangit, & clarius in can. Missae lect. 42. littera H. Maior dist. 10. quaest. 5. sub principium.

Secunda asserit esse quid conflatum ex materia & forma corporeitatis. Scotus dist. 11. quaest. 3. post medium.

Tertia docet ex vi verborum poni corpus secundum rationem communem corporis quae est species subalterna predicamenti substantiae, quam rationem sortitur ab anima, prout tribuit esse corporis, pro cuius rei intelligentia

Notandum animam rationalem per suam indiuisibilem entitatem varias rationes tribuere composito quod constituit, nimirum esse corpus, esse viuens, esse sensibile, seu animal, esse rationale seu hominem, quae rationes in vno & eodem composito suo modo distinguuntur. haec ergo sententia, reiecta forma corporeitatis, censet corpus quod ex vi verborum ponitur in hoc Sacramento, esse constitutum ex materia prima, & anima secundum rationem communem, qua tribuit esse corporeum. ita Dur. dist. 10. quaest. 2. art. 1. Cajet. quaest. praecedenti art. 6. §. in responsione ad 2.

Quarta sententia huic affinis censet vi verborum poni corpus prout est quiddam heterogeneum & organicum habens partes & organa diuersa, atque adeo non solum poni materiam primam, sed etiam animam rationalem secundum communem quandam rationem, qua tribuit esse corporis organici; quam sententiam amplectitur Sotus dist. 10. quaest. 1. art. 1. §. sed contra opinionem.

Quinta sententia censet esse materiam primam cum

cum modo quodam relicto ex quantitate, ratione cuius sit corpus organicum, tribuitur. Egidio Romano theoremate 28. 29. 30.

Sexta denique censet corpus, quod ex vi verborum ponitur sub specie panis, dicere alteram partem hominis abstrahentem à viuo & mortuo, & utrique communem, atque ita dicere materiam primam, formam carnis, ossis, nervi, & alia necessaria ad constitutionem corporis, prout est quid commune corpori viuo & mortuo, & cuius ratio potest inueniri sub utroque statu; quam sententiam amplectuntur varij.

Hac sententia videtur omnino verior.

Probat. si in triduo mortis Christi facta fuisset consecratio, forma idem habuisset significatum quod iam habet, igitur corpus, quod ex vi verborum ponitur sub specie panis, debet dicere materiam primam cum forma carnis, ossis, nervi, & aliorum, quæ concurrunt ad constitutionem corporis organici quod est commune viuo, & mortuo. consequentia probatur, quia aliàs vel non erit corpus, ut si sola materia prima ponatur, vel non erit idem significatum formæ, cum corpus, quod ex vi verborum ponitur, aliquid includat sub vno statu, quod non includit sub alio. nullo enim modo potest dici vnum & idem, quod sub diversis statibus diversa requirit ad sui constitutionem. Confirm. actio terminatur ad aliquid singulare, ergo & actio consecratoria: rursum actio consecratoria terminatur ad idem singulare, quantum est ex vi verborum, non erit autem idem singulare corpus, nisi sit corpus à nobis descriptum, quod est commune viuo & mortuo.

Ex his refutari potest prima sententia, nam materia prima non est corpus, nec potest nomine corporis organici designari.

Refutari etiam potest secunda, quia præterquam quod communis in Philosophia negetur forma corporeitatis, distincta realiter à formis, quibus composita physica integra constituuntur, supposito quod talis forma detur, ea non sufficit ut nullo alio accedente consecratur esse corpus organicum, & proinde, ut possit verificari illa propositio: hoc est corpus meum. si enim corpus Christi fuisset in cineres redactum, falsum fuisset dicere: hoc est corpus Christi, iuxta principia autem Scoti fuisset materia cum forma corporeitatis; igitur materia prima cum forma corporeitatis non est corpus, quod ex vi verborum ponitur sub specie panis. similis ratio formati etiam potest contra primam sententiam, si materia prima fuisset sub formâ cinerum, corpus Christi sub ipsâ non fuisset, igitur corpus Christi, quod ex vi verborum ponitur, non est materia prima.

Refutari etiam potest tertia; cum enim actio versetur circa singulare, debet attingere rem usque ad ultimum gradum in eo contentum, & non solum in gradu aliquo communi, qui per mentis præcognitionem ab alijs abstrahitur, igitur forma consecrationis attingens corpus non tantum illud attingit secundum gradum specificum subalternum, sed secundum ultimum, atque adeo per formam ex vi verborum corpus non ponitur secundum rationem communem corporis, quæ sit species subalterna prædicamenti substantiar, sed secundum ultimum eius rationem.

Confirm. actio quæ versatur circa singulare, non potest attingere animam rationalem secundum communem rationem corporis, nisi entitatem animæ in se attingat, quod repugnat Trid. asserenti animam poni per concomitantiam.

Dices poni per concomitantiam secundum gradum rationalem.

Resp. id non satisfacere, cum enim Concil. doceat quid re ipsa ponatur ex vi verborum, quid per concomitantiam, non vult secundum quam considerationem ponatur ex vi verborum, secundum quam verò per cōcomitantiam, id enim est nimis exile, ut tradatur à Concilio & ab Ecclesia doceatur: cum ergo Concilium doceat animam poni per concomitantiam sub specie panis, censet nullo modo ex vi verborum ipsam animæ entitatem poni in hoc Sacramento.

Refutatur etiam eadem sententia, quod ex ea sequatur corpus Christi non potuisse poni in hoc Sacramento in triduo mortis, cum in illo triduo anima rationalis non potuerit illi tribuere rationem corporis, nam hunc effectum non tribuit nisi informet, in illo autem triduo non informabat.

Ex dictis circa tertiam sententiam refutatur etiam quarta, quia constat vi verborum in triduo mortis potuisse poni corpus Christi sub speciebus; non potuit autem anima, ut ex dictis patet; præterea ostensum est animam secundum rem ipsam poni per concomitantiam, ergo sub nullâ ratione poni potest ex vi verborum.

Dices quod dicitur poni ex vi verborum, ita dicitur fieri, quia ipsis verbis exprimitur, & significatur; cum ergo verbis consecrationis significetur corpus sub ratione corporis, quod tribuit hanc rationem poterit secundum illam poni ex vi verborum, quamvis non possit dici secundum aliam rationem.

Resp. neg. consequentiam, quia quod dicitur poni vi verborum, non dicitur fieri per quendam conceptum, sed in ipsâ re fit, & verba in re ipsâ efficiunt, (physicè, vel moraliter, de quo iam non disputo) atque adeo debent attingere rem, quam ponunt usque ad ultimum gradum, & per consequens totum id, quod in re ipsa concurrat ad constitutionem corporis Christi, & proinde, si anima illud constituat, entitas animæ ponenda est ex vi verborum, quod esse falsum constat ex dictis. & Confirm. etiam nunc ita posset fieri consecratio, ut poneretur aliquid, & nihilominus Deus subtraheret suum concursum necessarium pro animæ positione, ergo non est dicendum iam illam poni ex vi verborum secundum communem rationem formæ corporis.

Refutatur etiam quinta sententia, eo quod difficile apparet, quis sit ille modus, in quem fit conuersio; non appareat etiam quod non possit remanere materia affecta illo modo, etiam si non sit caro, ossa &c. & per consequens desinat esse corpus Christi; ex quibus conficitur materiam cum tali modo non posse dici corpus quod ex vi verborum ponitur sub specie panis.

Præter has sententias alia est Vasquez disput. 186. cap. 3. asserentis corpus quod ex vi verborum ponitur sub specie panis neque definit esse viuum, neque definit esse mortuum, sed distinctum vel mortuum vel viuum, quæ sententia videtur etiam minus probanda, quia actio debet habere certum, & determinatum terminum, & ut ostensum est, in hoc mysterio forma requirit vnum, & idem, quod sub quolibet statu ponatur; non est ergo constitutum distinctum aliquid, quod sit terminus per se conuersionis panis ex vi verborum. adde etiam idem dicendum, licet nullâ intercedente actione conuersio esset transitus; vel ordo successionis; cum ille transitus panis in corpus Christi non sit rationis, & per operationem intellectus, sed sit realis; nam

Refutatur
& quarta.

Refutatur
etiam quinta.

Vasquez
sententia.

Improbatur.

verè

verè à parte rei vna substantia conuertitur, transit, mutatur in aliam: realis autem transitus postulat terminos singulares tam à quo, quam ad quem; igitur corpus, quod est terminus ad quem illius conuersionis, debet constitui aliquid singulare, & determinatum, & non difunctum.

Obiectio contra resolutionem. Contra resolutionem nostram obijcitur: ex vi verborum ponitur corpus humanum, corpus autem humanum non est, nisi adsit anima.

Resp. corpus humanum dupliciter dici posse, vno modo id, quod animam informatur, & reipsa concurrat ad constitutionem hominis, altero modo quod componitur ex partibus heterogeneis, quibus aptum est ad animæ receptionem. priori modo requirit animam, non autem posteriori, potestque esse idem numero corpus & vocari aliqua ratione humanum sub utroque statu, vnde ex eo quod per verba consecrationis sub specie panis constituatur corpus humanum, non sequitur poni animam ex vi verborum.

Obiectio altera. Dices saltem ex vi verborum poni sanguinem sub specie panis, cum corpus humanum illud includat.

Resp. neg. assumptum, ad probationem dico corpus reipia informatum animam, & actu hominem componens, requirere sanguinem, non verò corpus humanum, quod in sua præcisâ ratione sumptum, potest esse sine actuali vnione ad animam, prout esse potuisset corpus Christi in triduo mortis, siue reipsa aliquis sanguis in eo remanserit, siue non.

Sanguis qui vi verborum ponitur, est quid constitutum ex materia primâ, & formâ partiali. Quemadmodum autem in superioribus diximus corpus, quod vi verborum ponitur, esse aliquid constans materiâ primâ, & varijs formis partialibus, quibus constituitur corpus organicum humanum, commune viuo, & mortuo: ita dicimus sanguinem qui ex vi verborum consecrationis calicis ponitur, esse constitutum ex materiâ primâ, & formâ partiali.

Difficultas est num ex vi verborum sub specie vini ponatur totus, an verò aliqua eius pars? quidam enim censent solum poni sanguinem, qui in passione est effusus, cum apud Evangelistas addatur: qui pro multis effunderetur, præter quem sanguinem dicunt alium mansisse in venis & iecore Christi Domini. sed omnino verius est omnem sanguinem Christi, qui erat in eius corpore, vi verborum positum sub specie vini per consecrationem in vltimâ cenâ, quia forma calicis absolute significat sanguinem, vnde non debet restringi ad vnâ partem, particula autem: qui pro vobis effunderetur, non limitat sanguinem ponendum, quasi illa sola pars esset in calice ponenda, quæ erat in cruce fundenda, sed declarat, quod idem sanguis esset fundendus pro redemptione generis humani, siue totus effunderetur, siue solum quoad aliquid sui.

Verius est omne sanguinem, qui erat in Christi corpore, vi verborum positum sub specie vini in vltimâ cenâ.

D V B I V M II.

Quanam in hoc Sacramento ponantur per concomitantiam?

6. CVM ex dictis constet totum Christum sub singulis speciebus inueniri, & superiori dubio dictum sit ex vi verborum sub specie panis solum constitui corpus, & sub specie vini solum constitui sanguinem, facile patet quid sub singulis speciebus per concomitantiam sit constituendum, vnde Resp. &

Dico 1. sub specie panis per concomitantiam poni animam rationalem, sanguinem, & alios humores, & alia quæ ad naturam humanam integritatem requiruntur. patet, tum quia suo modo concurrunt ad constitutionem hominis, tum quia corpus Christi in statu naturali constitutum, informatur animam, & habet sanguinem, & alios humores, tanquam ad sui consistentiam facientes, ergo illa habet in hoc Sacramento, cum vis naturalis connexionis, quæ partes in statu naturali inter se copulantur, postulet, vt illa omnia in hoc Sacramento inueniantur.

Dico 2. inuenitur etiam diuinitas: quia corpus Christi in statu naturali est hypostaticè vnitum diuinitati, nec tantum persona Verbi hic reperitur, sed etiam aliæ personæ peculiari quadam ratione adsunt per concomitantiam, quemadmodum in mysterio Incarnationis Pater, & Spiritus S. peculiari-ter inueniuntur in Christi humanitate.

Dico 3. sub specie vini ponuntur per concomitantiam anima, corpus, & humores, similiter diuinitas, & tres personæ diuinæ. patet ex superioribus conclusionibus. Vnde iam sanguis ponitur intra venas.

Petes quomodo reliqui humores solum ponantur per concomitantiam sub specie vini, cum ponantur per concomitantiam sub specie panis, videantur autem sub alterutrâ specie ponendi ex vi verborum.

Resp. neg. debere poni vi verborum sub alterutrâ specie, quamuis enim corpus viuum ad sui consistentiam requirat quatuor humores, tamen corpus, quod est commune viuo & mortuo, & quod sub utroque statu idem esse potest, eos non requirit, neque similiter alios humores requirit sanguis extra venas, vnde sub neutrà specie ex vi verborum poni debent.

Cum ea quæ per concomitantiam ponuntur, solum constituentur ratione naturalis connexionis, quæ partes Christi Domini in statu naturali inter se copulantur, & ratione vnionis hypostaticæ

Sequitur 1. quod si in triduo mortis facta fuisset consecratio, diuinitas & singulæ personæ fuissent per concomitantiam sub singulis, quia Verbum nunquam dimisit corpus & animam.

Sequitur 2. quod si in eodem triduo facta fuisset consecratio, anima non fuisset sub vllâ specie, quia corpus in statu naturali non informabatur animam: similiter sanguis non erat pars actu componens viuens, immò, si hostia antè consecrata mansisset illo triduo consecrata, videtur quod anima, quæ initio fuisset sub specie panis per concomitantiam, in eo triduo esse desisset, Deo delinente illam conseruare, quia naturalis connexio id postulasset.

Aliqui censent humores etiâ non futuros fuisse per concomitantiam, nam corpus pro eo statu illos non postulasset, quamuis ergo fortè in corpore fuissent inuenti, naturalis connexio non effecisset, vt in hoc Sacramento inuenirentur: sed licet id sit probabile, verisimile tamen videtur quod per concomitantiam fuissent in hoc Sacramento, quamuis enim corpus mortuū eos non necessariò postuleret, non tamen ita reijcit, vt si adsint, censentur plane per accedens adesse, & solum contineri in corpore tanquam in vase, sed censentur aliquo modo retinere antiquam conditionem respectu corporis apti ad receptionem animæ. vnde etiam dicendum videtur, quod si totus sanguis in passione non fuerit effusus,

effusus, facta consecratione in triduo futurus fuisset per concomitantiam sub specie panis, nam sanguis fuisset intra venas.

Sed dubium est utrum tunc sanguis positus fuisset per modum continui? sermo autem est de toto sanguine, etiam si extra Sacramentum in varias partes esset diuisus.

Afferat Suarez disput. 51. sect. 3. §. sed quæres alter, quia per formam significatur per modum vnius, item ex vi verborum ponitur indistans, ergo continuus, cum res liquida indistans loco inter se continetur. Verius tamen videtur quod non, quia illa continuitas neque est necessaria ad veritatem formæ, neque alio capite tenemur eam asserere, cum ergo sit conformis institutioni huius Sacramenti, ut sanguis ponatur sub specie vini commodo, quo est in statu naturali quoad rationem continui vel discontinui, probabilis est quod partes sanguinis in statu naturali non continuæ non continuarentur in hoc Sacramento.

Nec obstat vnitatis formæ, quia per eam optime potest poni sanguis discontinuus, si in statu naturali sit discontinuus. non etiam obstat quod partes sint in eodem loco; quia optime fieri potest, ut partes liquidæ ratione aliqua supernaturali, & spiritali simul ponantur, & tamen discontinuæ.

Aduerte ea, quæ ex vi verborum & per concomitantiam in hoc Sacramento ponuntur, non ponuntur vna, eademque actione sed pluribus, ut discurrenti facile patere potest; quia tamen huiusmodi actiones tendunt ad hoc mysterium ex diuinâ ordinatione complendum, possunt aliquo modo dici vna actio coordinatione.

Petes, quâ certitudine sit tenendum aliqua in hoc Sacramento inueniri per concomitantiam? Hunc modum insident heretici, ut varij recentiores referunt; quod ex altiori errore procedit, nimirum ex eo quo docent vel Christum non esse in hoc Sacramento secundum rei veritatem, sed tantum in figurâ, vel non esse totum sub singulis speciebus: Catholici verò passim recipiunt hanc distinctionem, quâ dicitur aliquid esse in hoc Sacramento ex vi verborum, alia verò per concomitantiam. & quidem aliqui sentiunt esse de fide aliqua poni in hoc Sacramento per concomitantiam, ut Valquez disput. 185. cap. 2. num. 20. Alij censent non esse quidem de fide, sed esse certum, ut contrarium sit erroneum & temerarium. Suarez sect. 3. citata in principio. & quidem illud posteriorius verum est, cum enim passim Theologi id doceant, id quæ tradat Trid. & ex fidei principijs deducatur, non potest sine temeritate & errore negationem videri tamen de fide, quia nusquam ab Ecclesiâ, tanquam de fide, proponitur.

Dices 1. traditurâ Trid. cap. 3. sect. 13. Resp. doceri quid, & ideo rem esse certam, non tamen proponi, ut de fide, neque sequitur non esse certam, eo quod non sit de fide, cum satis constet multa esse certa in Ecclesiâ, quæ nondum sunt de fide.

Dices 2. in fine capitis vltimi illius sess. ante canones dicitur: Quoniam autem non est satis veritatem docere, nisi detegantur & refellantur errores, placuit sanctæ Synodo hos canones subiungere, ut omnes iam agnita catholica doctrinâ intelligant quoque, quæ ab illis hæreses cauere vitarique debent; igitur quæ illis capitibus traduntur pertinent ad doctrinam, sunt de fide.

Resp. neg. consequentiam, si consequens intel-

ligatur de omnibus etiam ijs punctis, quæ alibi tanquam de fide non sunt tradita; nam illud dictum Concilij, ut omnes iam agnita catholica doctrinâ &c. verificari potest, licet non singula puncta in capitibus tradita sint de fide, quia sufficit ijs capitibus doctrinam de fide in aliquibus locis traditam fuisse, licet non omnibus, quibus autem locis tradita sit doctrina, quæ sit de fide, aliunde est discipiendum, utrum scilicet in aliquo alio generali Concilio sit definita, vel ex Scripturâ, vel traditione &c. habeatur de fide, vel clarè in ipso Concilio proponatur, tanquam de fide.

Contra ipsam doctrinam quæ asserit aliqua hic esse per concomitantiam arguitur, quod si diuinitatem & tres personas diuinas excipias, alia quæ in hoc Sacramento ponuntur, debeant iuxta supra dicta poni per efficientiam aliqualem formæ physicæ scilicet, vel moralem; forma autem efficiat significationem: unde videtur sequi quod nihil efficiat nisi quod significat, atque ita omnia quæ hic sunt ponantur ex vi verborum.

Resp. neg. sequelam, licet enim forma concurrat mediâ significatione, potest tamen suo modo causare id quod non significat, & quod ad veritatem formæ non requiritur; potest inquam causare, quia potest attingere tanquam connexum illi quod poni debet ut forma sit vera.

Dices ipsa verba id ponunt, ergo debet dici poni vi verborum.

Resp. neg. consequentiam iuxta sensum quo consequens passim ab Ecclesiâ & Doctoribus intelligitur; nam poni vi verborum est poni quia verba ad sui veritatem id exigunt, sine quo non verificantur, quomodo non ponuntur ea quæ dicuntur poni per concomitantiam, quamuis dicantur poni per verborum efficientiam, quæ se se potest extendere ad ea, ad quæ non se extendit significatio propter rationem allatam.

ARTICVLVS III.

Utum sit totus Christus sub qualibet parte specierum panis & vini?

NOTANDVM S. Th. velle querere, nū sub qualibet parte speciei panis sit totum corpus Christi, & sub qualibet parte speciei vini sit totus sanguis eiusdem, ut satis patet ex illius discursu.

Refert quorundam opinionem asserentium quidam factâ specierum diuisionem totum Christum esse sub singulis partibus specierum, non tamen esse totum sub ipsâ ante diuisionem.

Respondet verò totum esse sub singulis partibus non solum factâ diuisione, sed etiam ante illam, seu hostiâ remanente integrâ, prior pars est de fide tradita in Concilio Flor. §. tertium, vbi dicitur, sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ & vini consecratæ separatione factâ totus est Christus. &c. in Trid. sess. 13. can. 3. vbi dicitur anathema neganti in hoc Sacramento sub singulis cuiusque speciei partibus separatione factâ totum Christum contineri. idem traditur can. singulis, quem aliqui tribuunt Ambrosio, alij Hieronymo, & can. vbi pars qui tribuitur Hilario Papæ, de consecratione dist. 2.

Probat. factâ diuisione specierum vel corpus est sub qualibet parte earum, vel sub aliqua tantum, vel sub nulla: tertium dici non potest, quia per diuisionem

Obiectio
nihil poni
per concomitantiam.

Resp.
Forma potest suo modo causare id, quod non significat; quatenus potest attingere tanquam connexum illi, quod poni debet ut forma sit vera.

IO.
Sensus D.
Th.

Quorundam opinio.

Resp. affir.

Florent.

Trident.

Can. sing.

Can. vbi

pars.